



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An omnes fideles mortui & viuentes, simul adhuc efficiunt vnum corpus
mysticum. tit. 236

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ditur sathanas, &c. Nemo ergo hæc tria in seipso inspicere debet, &c.

AN OMNES FIDELIS, MORTUI & VIVENTES, SIMUL ADHUC EFFICIUNT VNUM CORPUS MYSTICUM.

TITVLVS CCXXXVI.

PRI Mò, hæc est infallibilis doctrina Apostolorum, quòd totum corpus fidelium facit vnum corpus mysticum, cuius caput est Christus, & nos singuli membra, 1. Corin. 12. Ephes. 1. Colos. 1. Hoc corpus Christi mysticum quotidie crescit & augetur, quoties quis fidem eius acceperit & baptizatur, sed solum in die nouissimo erit completum. Ideo & in terris & in cælis augmentatur, vbi iam caput, id est, Christus est vsque ad diem nouissimum.

Secundò, hoc corpus mysticum Christi non diuidit mors naturalis. Nam spiritus est immortalis, & ipsa charitas, quæ nos hic adunuit, cum fide non excidit, 1. Corin. 13. neque Spiritus sanctus discedit ab illis quos semel hic possedit. Et Apostolus Ephes. 2. vocat fideles conciuues sanctorum & domesticos Dei, quod si mul estis conciuues cæli hic & in futuro, mortui & viuentes. Ergo hoc corpus Christi mysticum non diuiditur morte naturali. Sic dicit Augustinus libr. 20. de ciuit. Dei, cap. 9. Mortuorum animæ sanctorum non separantur ab Ecclesia, quæ est adhuc in terris, alioqui neque ad altare Dei fieret eorum memoria, in communione corporis Christi, neque gratiæ fierent DEO pro illis. Sic etiam libr. 10. cap. 7. dicit, quòd cum ipsis sanctis sumus vna ciuitas, licet ipsi in cælis & nos in terra simus, sicuti angeli in cælis, & nos in terris omnes serui vnius DOMINI & DEI sumus.

Tertio, ex illo concluditur, si corpus hoc mysticum

cū manet, charitas nō excidit, idēd sumus alter alterius, & quotquot credimus viuentes, & quotquot ceciderunt, & iam apud Deum regnant, sunt inuicē membra. Vt igitur iure naturæ membro membrū cōpatitur, si dolet: aut si gaudet, congaudet, 1. Corinth. 12. & non est schisma in corpore. Igitur sic erga nos affecti sunt sancti, cupientes nostram salutem naturaliter, & hęc illorum cupiditas est oratio illorum pro nobis, & quatenus sunt ex omni parte corū appetitur satiati: idēd exaudiuntur Psalmorum .16. Satiabor cum apparuerit gloria tua &c. & sic cupiunt nostram salutem & petunt.

Sic nos in terris ex eadem lege charitatis cupimus & oramus lingua, voce & mente pro defunctis membris, vt si sunt in pœnis, liberentur ex misericordia propter CHRISTUM. Sancti in cœlis mente orant pro nobis, quia linguam aut vocem non habent, vsque ad resurrectionem carnis. Vt autem sic oramus, vt à peccatis, id est, pœnis pro peccatis liberentur, docet scriptura 2. Machab. 12. vbi dixit ille Machabæus: Sancta & salubris est cogitatio & cœret. Et quoniam mortui fideles adhuc sunt nostra membra, idēd nos pro ipsis oramus, & beati pro nobis orant, & cœt, sic credit Ecclesia Catholica.

ORARE PRO MORTUIS

an sit traditio humana.

TITVLVS CCXXXVII.



MOTandum primò, quod scriptura dicit 2. Machab. 12. quòd sancta & non nefaria, & salubris, & non innanis sit cogitatio & opus pro defunctis exorare, vt à peccatis (id est, pœnis peccatorum) absoluantur, & idēd fortissimus Iudas collegit .12. milia drachmas argenti, & misit eas Hierosolymam ad ministros templi, vt offerrent sacrificium id est, orationem